

Eſau: dux Theman, dux Omar, dux Sephua, dux Cenez, dux Core, dux Gatham, dux Amalec. hi filij Eliphaz in terra Edom, & hi filij Adæ. Hi quoque filij Rahuel filij Eſau: dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza. hi autem duces Rahuel in terra Edom: iſti filij Bâſemath vxoris Eſau. Hi autem filij Oolibama vxoris Eſau: dux Iehus, dux Ihelom, dux Core. hi duces Oolibama filia Ana vxoris Eſau. Iſti ſunt filij Eſau, & hi duces eorū: ipſe eſt Edom. Iſti ſunt filij Seir Horrei, habitatores terræ: Lotan & Sobal & Sebeon & Ana & Diſon & Eſer & Diſan. hi duces Horræi, filij Seir in terra Edom. Facti ſunt autē filij Lotan: Hori & Hemam. erat autem ſoror Lotan, Thamna. Et iſti filij Sobal: Aluan & Manâhath & Ebal, & Sepho & Onam. Et hi filij Sebeon: Aia & Ana. Iſte eſt Ana qui inuenit equas calidas in ſolitudine, cum paſceret aſinas Sebeon patris ſui. Habuitq; filium Diſon, & filiam Oolibama. Et iſti filij Diſan: Hamdan & Eſebâ & Iethran & Charan. Hi quoq; filij Eſer: Balaan & Zauan & Acan. Habuit autem filios Diſan: Hus, & Aran. Hi duces Horræorū: dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana, dux Diſon, dux Eſer, dux Diſan. iſti duces Horræorum qui imperauerunt in terra Seir. Reges autem qui regnauerunt in terra Edom antequam haberent regem filij Iſrael, fuerunt hi: Bela filius Beor, nomenq; vrbis eius Denâba.

D Mortuus eſt autem Bela, & regnauit pro eo Iobab filius Zaræ de Boſra. Cumq; mortuus eſſet Iobab, regnauit pro eo Huſam de terra Themanorū. Hoc quoq; mortuo, regnauit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in regione Moab: & nomē vrbis eius Auith. Cumq; mortuus eſſet Adad, regnauit pro eo Semla de Maſſeca. Hoc quoque mortuo, regnauit pro eo Saul de fluuio Roho-both. Cumq; & hic obijſſet, ſucceſſit in regnum Bâlanan filius Achobor. Iſto quoque mortuo, regnauit pro eo Adar, nomēq; vrbis eius Phau: & appellabatur vxor eius Meetabel, filia Matred filia Mezaab. Hæc ergo nomina ducum Eſau in cognationibus & locis & vocabulis ſuis: dux Thamna, dux Alua, dux Ietheth, dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, dux Cenez, dux Theman, dux Maſſar, dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom habitantes in terra imperij ſui, ipſe eſt Eſau pater Idumæorum. Habuit autem Iacob in terra Chanâan, in qua pater ſuus peregrinatus eſt. Et hæc ſunt generationes eius.

pacifice loqui. Accidit quoq; vt viſum ſomnium referret fratribus ſuis, quæ cauſa maioris odij ſeminarium fuit.

B Dixitq; Ioseph fratribus ſuis, Audite ſomnium meum quod vidi, Putabam nos ligare manipulos in agro: & quali conſurgere manipulum meum, & ſtare: veſtrosq; manipulos circumſtantes adorare manipulum meum. Reſponderunt fratres eius, Nunquid rex noſter eris: aut ſubiiciemur ditioni tuæ: Hæc ergo cauſa ſomniorum atq; ſermonum, inuidiæ & odij ſomitem miniſtrauit. Aliud quoque vidit ſomnium, quod narrans fratribus, ait, Vidi per ſomnium quali ſolem, & lunam, & ſtellas vndecim adorare me, Quod cū patri ſuo, & fratribus retuliſſet, in crepauit eum pater ſuus, & dixit, Quid ſibi vult hoc ſomnium quod vidisti: num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram: Inuidebant ei igitur fratres ſui: pater verò rem tacitus conſiderabat. Cumq; fratres illius in paſcendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Iſrael, Frates tui paſcant oues in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondente, Præſto ſum: ait, Vade, & vide ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos, & pecora, & renuntia mihi quid agatur. Miſſus de valle Hebron, venit in Sichem: inuenitq; eum vir errantem in agro, & interrogauit quid quæreret. At ille reſpondit, Fratres meos quæro, indica mihi vbi paſcant greges. Dixitq; ei vir, Receſſerunt de loco iſto: audiui autem eos dicentes, Eamus in Dothain. Perrexit itaque Ioseph poſt fratres ſuos, & inuenit eos in Dothain. Qui cum vidiffent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere. Et mutuo loquebantur, Ecce ſomniator venit, venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem: dicemusq; ſera peſſima deuorauit eum, & tunc apparebit quid illi proſint ſomnia ſua. Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat, Non interficiamus animam eius, nec effundamus ſanguinem: ſed proijcite eum in cisternam hanc, quæ eſt in ſolitudine, manusq; veſtras ſeruate innoxias, hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri ſuo. Confeſtum igitur vt peruēnit ad fratres ſuos, nudauerunt eum tunica talari, & polymita: miſeruntq; eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam. Et ſedentes vt comederent panem, viderūt Iſmahelitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & reſinam, & ſtaſten in Aegyptum. Dixit ergo Iudas fratribus ſuis, Quid nobis prodeſt, ſi occiderimus fratrem noſtrū, & celauerimus ſanguinem ipſius?

F Melius eſt vt vendatur Iſmahelitis, & manus noſtræ non polluantur: frater enim, & caro noſtra eſt. Acquieuerunt fratres ſermonibus illius. Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, venderunt eum Iſmahelitis viginti argenteis: qui duxerunt eum in Aegyptum. Reuerſusq; Ruben ad cisternam, non inuenit puerum: & ſciſis veſtibus pergens ad fratres ſuos, ait, Puer nō compāret, & ego quid ibo? Tulerunt autem tunicam eius, & in ſanguinem hœdi quem occiderant, tinxerunt: mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent, Hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui ſit, an non.

G Quam cum cognouiſſet pater, ait, Tunica filij mei eſt, ſera peſſima comēdit eum, beſtia deuorauit Ioseph. Sciſiſq; veſtibus indutus eſt cilicio, Iugens filij ſui multo tēpore. Congregatis autem cunctis liberis eius vt lenirent dolorem patris, noluit conſolationem accipere: ſed ait, Deſcendam ad filium meum, Iugens in infernum. Et illo perſeuerante in ſletu, Madianitæ vendiderūt Ioseph in Aegypto Phutiphari eunucho Pharaonis magiſtro militum.

Primum somnium Ios sep.

Alterum somnium Ios sep.

Ioseph fratru invidia, mittitur in cisternam.

Sapient. 10. a. Pſal. 104. b. Educius Iſſi mabelitis ut dicitur.

Dolet patiter.

Contugium Iudæ.

1. Par. 2. a.



CAPVT XXXVII

A Ioseph cum sedecim eſſet annorum, paſcebat gregem cū fratribus ſuis adhuc puer: & erat cum filijs Balæ, & Zelphe vxorum patris ſui: acculauitq; fratres ſuos apud patrem crinine peſſimo. Iſrael autem diligebat Ioseph ſuper omnes filios, eo quod in ſenectute genuiſſet eum: fecitq; ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres eius quod à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam

Ioseph accusat fratres.

CAPVT XXXVIII

A Odem tempore deſcendens Iudas à fratribus ſuis, diuertit ad virum Odollamiten, nomine Hiram. Viditq; ibi filia hominis Chananaei, vocabulo Sui: & accepta vxore, ingreſſus eſt

ad eam. Quae concepit, & peperit filium, & vocavit nomen eius Her. Rursumq; concepto factu, natum filium vocavit Onan. Tertium quoq; peperit: quae appellavit Sela. quo nato parere ultra cessavit. Dedit autē Iudas vxorem primogenito suo Her, nomine Thamar. Fuit quoq; Her primogenitus Iudae, nequam in conspectu Domini: & ab eo occisus est. Dixit ergo Iudas ad Onan filium suum, Ingredere ad vxorem fratris tui, & sociare illi: vt susceites semen fratri tuo. Ille sciens non sibi nasci filios, introiit ad vxorem fratris sui, semen fundebat in terram: ne liberi, fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, eo quod rem detestabilem faceret. Quam ob rem dixit Iudas Thamar nurui suae, Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus, timebat enim ne & ipse moreretur, sicut fratres eius. Quae abiit, & habitauit in domo patris sui. Euolutis autem multis diebus mortua est Seta, vxor Iudae, qui post luctum consolatione suscepta, ascendebat ad tonsores ouium suarum, ipse & Hiras opilio gregis Odollamites, in Thamnus. Nutriatusq; est Thamar quod focer illius ascenderet in Thamnus ad tendendas oues. Quae depositis viduitatis vestibus, assumpsit theristrum: & mutato habitu sedit in biuio itineris, quod ducit Thamnans: eo quod creuisset Seta, & non eum accepisset maritum.

Her. Onan. Sela.

Num. 26. c. Her mortu. Onan peric. cutia Dor. mmo.

B Quam cum vidisset Iudas, suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur. Ingrediensq; ad eam ait, Dimitte me, vt cocam tecum, nesciebat enim quod nurus sua esset. Qua respondente, Quid dabis mihi, vt fruaris concubitu meo? dixit, Mittam tibi haedum de gregibus. Rursumq; illa dicente, Patiar quod vis, si dederis mihi arabonem, donec mittas quod polliceris: ait Iudas, Quid vis tibi pro arabone dari? Respondit, Annulum tuum, & armillam, & baculum quae manu tenes. Ad vnum igitur coitum mulier concepit, & surgens abiit: depositisq; habitu quae sumpserat, induta est viduitatis vestibus. Misit autē Iudas haedum per pastorem suum Odollamitem, vt reciperet pignus quod dederat mulieri: qui cum non inuenisset eam, interrogauit homines loci illius. Vbi est mulier, quae sedebat in biuio? Respondentibus cunctis, Non fuit in loco isto meretrix: reuersus est ad Iudam, & dixit ei, Non inueni eam, sed & homines loci illius dixerunt mihi nunquam sedisse ibi scortum. Ait Iudas, Habeat sibi, certe mendaciam arguere nos non poterit: ego misi haedum quae promiseram, & tu non inuenisti eam. Ecce autē post tres menses nuntiauerunt Iudae, dicentes, Fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere. Dixitq; Iudas, Producite eam vt comburatur. Quae cum duceretur ad poenam, misit ad focerum suum, dicens, De viro cuius haec sunt, concepi: cognosce cuius sit annulus, & armilla, & baculus. Qui agnitis muneribus, ait, Iustior me est: quia non tradidi eam Seta filio meo. Attamen ultra non cognouit eam. Instante autem patre, apparuerunt gemini in

Incaesus Iudae cum Thamar nurus sua.

C vtero: atque in ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens, Iste egredietur prior: Illo vero retrahente manum egressus est alter: dixitq; mulier, Quare diuisa est propter te macedonia? & ob hanc causam vocavit nomen eius Phares. Postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum: quem appellavit Zara.

Math. 1. 2

Phares.

1. Para. 2. a. Zara.

CAPVT XXXIX

A Veditio Ioseph in domum Pharaonis.

Igitur Ioseph ductus est in Aegyptum, emittitq; eum Phutiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus sui, vir Aegyptius, de manu Ismahelitarum, a quibus perductus erat. Fuitq; dominus cum eo, & erat vir in cunctis prospere agens: habitauitq; in domo domini sui, qui optime nouerat dominum esse cum eo, & omnia quae gereret, ab eo dirigi in manu illius. Inuenitq; Ioseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei: a quo praepositus omnibus gubernabat creditam

sibi domum, & vniuersa quae ei tradita fuerant: benedixitq; dominus domui Aegyptij propter Ioseph, & multiplicauit eum in aedibus quam in agris cunctam eius substantiam. Nec quicquam aliud nouerat, nisi panem quo vesceretur. Erat autem Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu. Post multos itaq; dies iniecti domina sua oculos suos in Ioseph, & ait, Dormi mecum. Qui nequaquam acquiescens operi nephario, dixit ad eam, Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua: nec quicquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, praeter te, quae vxor eius est: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum? Huiusmodi verbis per singulos dies loquebatur, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recubabat stuprum.

Demegat Ioseph dominum suum stuprum.

C Accidit autem quadam die vt intraret Ioseph domum, & operis quippiam absq; arbitris faceret: & illa, apprehensa lacinia vestimenti eius, diceret, Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras. Cumq; vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptum, vocauit ad se homines domus suae, & ait ad eos, En introduxit virum Hebraeum, vt illuderet nobis: ingressus est ad me, vt coiret mecum: cumq; ego succlamassem, & audisset vocem meam, reliquit pallium quod tenebat, & fugit foras. In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit

D marito reuertenti domum suam, & ait, Ingressus est ad me seruus Hebraeus quem adduxisti, vt illuderet mihi: cumq; audisset me clamare, reliquit pallium quod tenebat, & fugit foras. His auditis dominus & nimium credulus verbis coniugis, iratus est valde, tradiditq; Ioseph in carcerem, vbi vincti regis custodiebantur, & erat ibi clausus. Fuit autem dominus cum Ioseph, & misertus est illius: & dedit ei gratiam in conspectu principis carceris. Qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos qui in custodia tenebantur: & quicquid fiebat, sub ipso erat. Nec nouerat aliquid cunctis ei creditis: dominus enim erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.

Falso accusatus a domina, in carceratur. Plal. 104. b

CAPVT XL

Is itaque gestis accidit vt peccarent duo eunuchi, pincerna regis Aegypti, & pistor, domino suo. Iratusq; contra eos Pharaon (nam alter pincernis praerat, alter pistoribus) misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus & Ioseph. At custos carceris tradidit eos Ioseph, qui & ministrabat eis: aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur. Videruntq; ambo somnium nocte vna, iuxta interpretationem con-

Pincerna et pistor Pharaonis, somnia uident in carcere.

B gruum sibi, Ad quos cum introisset Ioseph mane, & vidisset eos tristes, sciscitatus est eos, dicens, Cur tristior est hodie solitudo facies vestrae? Qui responderunt, Somnium vidimus, & non est qui interpretetur nobis. Dixitq; ad eos Ioseph, Nunquid non Dei est interpretatio? referte mihi quid videritis. Narrauit prior, praepositus pincernarum somnium suum, Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vvas maturefcere: calicemq; Pharaonis in manu mea. tuli ergo vvas, & expressi in calicem quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. Respondit Ioseph,

Ioseph interpretatus somnium pincernae regis Pharaonis.

C Haec est interpretatio somnii, Tres propagines, tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharaon ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum: dabisq; ei calicem iuxta officium tuum, sicut ante facere consueueras. Tantum memento mei, cum tibi bene fuerit, & facies mecum misericordiam: vt suggeras Pharaoni vt educat me de isto carcere: quia furtim sublatus sum de terra Hebraeorum, & hic innocens in lacum missus sum. Videns pistor magister quod prudenter somnium dissoluisset, ait, Et ego vidi somnium, Quod tria canistra farinae haberem super caput meum: & in vno canistro quod erat excelsius, portare me putabam omnes cibos qui sunt

Somnium ita pistoris esse positum.

vestra, hos habebitis famulos, & hereditario iure transmit-
 tetis ad posteros, ac possidebitis in æternū. fratres autem
 G vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam. Si inua-
 luerit apud vos manus aduenæ atque peregrini, & atte-
 nuatus frater tuus venderit se ei, aut cuiquam de stirpe
 eius, post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fra-
 tribus suis, redimet eum, & patruus & patruelis, & cōsan-
 guineus, & affinis. Sin autem & ipse potuerit, redimet se,
 supputatis dūtaxat annis à tempore venditionis suæ vsq̃
 in annum iubileum, & pecunia qua venditus fuerat, iuxta
 annorum numerum & rationem mercennarij supputata.
 Si plures fuerint anni qui remanent vsque ad iubileum,
 secundum hos reddet & pretium, si pauci, ponet ratio-
 nem cum eo iuxta annorum numerum, & reddet emptori
 quod reliquum est annorum, quibus antè seruitit merces
 dibus imputatis; non affliget eum violenter in conspectu
 tuo. Quod si per hæc redimi non poterit, anno iubileo
 egredietur cum liberis suis. Mei enim sunt serui filij Israel,
 quos eduxi de terra Aegypti.

CAPVT XXVI

A **E** Go Dominus Deus vester, Non facietis vo-
 bis iddolum & sculptile, nec titulos erigatis, nec
 insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt
 adoretis eum, ego enim sum Dominus Deus
 vester. Custodite sabbatha mea, & pauete ad sanctuarium
 meum, ego Dominus. Si in præceptis meis ambulaueritis,
 & mandata mea custodieritis & feceritis ea, dabo vobis
 pluitias temporibus suis, & terra gignet germen suum, &
 pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritu-
 ra vindemiam, & vindemia occupabit sementem; & co-
 medetis panem vestrum in saturitate, & absque pauore
 habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris;
 dormietis, & non erit qui exterreat. Auferam malas bes-
 tias, & gladius non transibit terminos vestros. Persequen-
 tur quinq̃ de vestris centum alienos, & centum de vo-
 bis decem millia; cadent inimici vestri gladio in conspectu
 vestro. Respiciam vos, & crescere faciam; multiplicabimi-
 ni, & firmabo pactum meum vobiscum. Comedetis vetu-
 stissima veterū, & vetera nouis superuenientibus proieci-
 tis. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non
 abiiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus
 vester, vosq̃ eritis populus meus. Ego Dominus Deus ve-
 ster, qui eduxi vos de terra Aegyptiorū, ne seruiretis eis,
 & qui confregi catenas ceruicium vestrarum, vt incedere-
 tis erecti. Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia
 mandata mea, sed spreueritis leges meas, & iudicia mea
 contempseritis, vt non faciatis ea quæ à me cōstituta sunt,
 & ad irritum perducatis pactum meum, ego quoq̃ hæc
 faciam vobis, Visitabo vos velociter in egestate & ardo-
 re, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas ve-
 stras. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus deuora-
 bitur. Ponam faciem meam cōtra vos, & corruetis coram
 hostibus vestris, & subiiciemini his qui oderunt vos, fu-
 gietis nemine persequente. Sin autem nec sic obedieritis
 mihi, addam correptiones vestras septuplū propter pec-
 cata vestra, & conteram superbiam duritiæ vestræ. Daboq̃
 vobis cœlum desuper sicut ferrum, & terrā æneam. Con-
 sumetur incassum labor vester, nō proferet terra germen,
 nec arbores poma præbebunt, Si ambulaueritis ex aduerso
 mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras
 vsque in septuplum propter peccata vestra: emittamq̃ in
 vos bestias agri, quæ consumant vos, & pecora vestra, &
 ad paucitatem cuncta redigant, desertæq̃ fiant viæ vestræ.
 Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambu-
 laueritis ex aduerso mihi, ego quoq̃ contra vos aduersus
 incedam, & percutiam vos septies propter peccata ve-
 stra, inducamq̃ super vos gladium vltorem fœderis mei.
 Cumq̃ cōfugeritis in vrbes, mittam pestilentiam in medio

vestri, & trademini in manibus hostium, postquam con-
 fregero baculum panis vestri: ita vt decem mulieres in vno
 clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus, & co-
 medetis, & non saturabimini. Sin autem nec per hæc au-
 dieritis me, sed ambulaueritis contra me, & ego incedam
 aduersus vos in furore cōtrario, & corripiam vos septem
 plagis propter peccata vestra, ita vt comedatis carnes fi-
 liorum vestrorum & filiarum vestrarum, destruant excel-
 sa vestra, & simulachra confringam. Cadetis inter ruinas
 idolorum vestrorum, & abominabitur vos anima mea,
 intantum vt vrbes vestras redigam in solitudinem, & de-
 serta faciam sanctuaria vestra, nec recipiam vltra odorem
 suauissimum. Disperdamq̃ terram vestram, & stupebunt
 super ea inimici vestri, cum habitatores illius fuerint. Vos
 autem dispergam in gentes, & euaginabo post vos gla-
 dium, eritq̃ terra vestra deserta, & ciuitates vestræ dirutæ.
 Tunc placebunt terræ sabbatha sua cunctis diebus solitu-
 dinis suæ; quādo fueritis in terra hostili, sabbathabit, &
 requiescet in sabbathis solitudinis suæ, eo quod non re-
 quieuerit in sabbathis vestris, quando habitabatis in ea. Et
 qui de vobis remanserint, dabo pauorem in cordibus eor-
 um in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folij vo-
 lantis, & ita fugient quasi gladiū. cadent nullo persequen-
 te, & corruent linguli super fratres suos quasi bella fugien-
 tes, nemo vestrum inimicis audebit resistere. Peribitis in-
 ter gentes, & hostilis vos terra consumet. Quod si & de his
 aliqui remanserint, tabescent in iniquitatibus suis, in terra
 inimicorum suorum, & propter peccata patrum suorum
 & sua affligentur: donec confiteantur iniquitates suas, &
 maiorum suorum, quibus præuaricati sunt in me, & am-
 bulauerunt ex aduerso mihi. Ambulabo igitur & ego con-
 tra eos, & inducam illos in terram hostilem, donec erube-
 scat incircumcisa mens eorum. Tunc orabunt pro impie-
 tibus suis, & recordabor fœderis mei quod pepigi cum
 Iacob, & Isaac, & Abraham. Terræ quoque memor ero;
 quæ cum relicta fuerit ab eis, cōplacebit sibi in sabbathis
 suis, patiens solitudinem propter illos. Ipsi verò rogabūt
 pro peccatis suis, eo quod abiecerint iudicia mea, & leges
 meas despexerint. Attamen etiam cum essent in terra ho-
 stili, non penitus abiici eos, neque sic desepi vt consume-
 rentur, & irritum facerem pactum meū cum eis. Ego enim
 sum Dominus Deus eorū, & recordabor fœderis mei pri-
 stini, quando eduxi eos de terra Aegypti in conspectu gen-
 tium vt essem Deus eorū, ego Dominus Deus. Hæc sunt
 iudicia atq̃ præcepta & leges, quas dedit Dominus inter
 se & inter filios Israel in monte Sinai per manum Moyfi.

CAPVT XXVII

A **L** ocutusq̃ est Dominus ad Moysem, dicens,
 Loquere filiis Israel, & dices ad eos, Homo
 qui votum fecerit & sponderit Deo ani-
 mam suam, sub estimatione dabit pretium. Si
 fuerit masculus à vicesimo anno vsque ad sexagesimum
 annum, dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram
 sanctuarij; si mulier, triginta. A quinto autem anno vsque
 ad vicesimum, masculus dabit viginti siclos; foemina decem.
 Ab vno mense vsq̃ ad annum quintum, pro mascu-
 lo dabuntur quinq̃ sicli; pro foemina tres. Sexagenarius
 & vltra masculus dabit quindecim siclos; foemina decem.
 Si pauper fuerit, & estimationem reddere nō valebit, sta-
 bit coram sacerdote; & quantum ille estimationem, & vide-
 rit eum posse reddere, tantum dabit. Animal autē quod
 immolari potest Domino, si quis vouerit Domino, sanctum
 erit & mutari nō poterit, id est nec melius malo, nec
 peius bono, quod si mutauerit: & ipsum quod mutatum
 est, & illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domi-
 no. Animal immundum quod immolari Domino nō po-
 test, si quis vouerit, adducetur ante sacerdotē: qui dijudi-
 cans vtrum bonum an malum sit, statuet pretium, quod
 si dare voluerit is qui offert, addet super estimationem

De uarijs
 uotis & res
 demptione
 eorundem.

Exod. 20. a
 Deut. 5. a
 Psal. 96. b

Benedictio
 seruauitibus
 pr. cepta.
 Deut. 28. a

Iob. n. d

1. Cor. 6. d

Maledictio
 non seruans
 ribus pr. ceptis
 Deut. 28. b
 Thren. 2. f
 Malac. 2. a

quintam partem. Homo si vouerit domum suam, & sanctificauerit Domino, considerabit eam sacerdos vtrum bona an mala sit, & iuxta pretium quod ab eo fuerit constitutum, venundabitur, si autem ille qui vouerat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem aestimationis supra, & habebit domum. Quod si agrum possessionis suae vouerit, & consecrauerit Domino: iuxta mensuram seminis aestimabitur pretium. si triginta modijs hordei seritur terra, quinquaginta siclis venudetur argenti. Si statim ab anno incipientis iubilii vouerit agrum, quanto valere potest, tanto aestimabitur. si autem post aliquantulum temporis, supputabit sacerdos pecuniam iuxta annorum qui reliqui sunt numerum vsque ad iubileum, & detrahetur ex pretio, quod si voluerit redimere agrum ille qui vouerat, addet quintam partem aestimatæ pecuniæ, & possidebit eum, si autem noluerit redimere, sed alteri cuiuslibet fuerit venundatus, vltra eum qui vouerat, redimere non poterit: quia cum iubilii venerit dies, sanctificatus erit Domino, & possessio consecrata ad ius pertinet sacerdotum. Si ager emptus est, & non de possessione maiorum sanctificatus fuerit Domino, supputabit sacerdos iuxta annorum numerum vsque ad iubileum, pretium: & dabit ille qui vouerat eum, Domino. in iubilio autem reuertetur ad priorem Dominum qui vendiderat eum, & habuerat in fortem possessionis suae. Omnis aestimatio siclo sanctuarij ponderabitur. Siclus viginti obolos habet. Primogenita quæ ad Deum pertinent, nemo sanctificare poterit & vouere, siue hos siue ouis fuerit: Domini sunt. Quod si immundum est animal, redimet qui obtulit iuxta aestimationem tuam, & addet quintam partem pretij, si redimere noluerit, vendetur alteri quantuncunq; fuerit ante aestimatum, Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager, non vaniet nec redimi poterit. Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, Et omnis consecratio quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur. Omnes decimæ terræ siue de pomis arborum siue de frugibus, Domini sunt, & illi sanctificantur. Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum. Omnium decimarum bouis & ouis & capræ, quæ sub pastoris virgâ transeunt, quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligerit nec bonum nec malum, nec altero commutabitur. si quis mutauerit: & quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur. Hæc sunt præcepta quæ mandauit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai.

C **U**ntam partem. Homo si vouerit domum suam, & sanctificauerit Domino, considerabit eam sacerdos vtrum bona an mala sit, & iuxta pretium quod ab eo fuerit constitutum, venundabitur, si autem ille qui vouerat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem aestimationis supra, & habebit domum. Quod si agrum possessionis suae vouerit, & consecrauerit Domino: iuxta mensuram seminis aestimabitur pretium. si triginta modijs hordei seritur terra, quinquaginta siclis venudetur argenti. Si statim ab anno incipientis iubilii vouerit agrum, quanto valere potest, tanto aestimabitur. si autem post aliquantulum temporis, supputabit sacerdos pecuniam iuxta annorum qui reliqui sunt numerum vsque ad iubileum, & detrahetur ex pretio, quod si voluerit redimere agrum ille qui vouerat, addet quintam partem aestimatæ pecuniæ, & possidebit eum, si autem noluerit redimere, sed alteri cuiuslibet fuerit venundatus, vltra eum qui vouerat, redimere non poterit: quia cum iubilii venerit dies, sanctificatus erit Domino, & possessio consecrata ad ius pertinet sacerdotum. Si ager emptus est, & non de possessione maiorum sanctificatus fuerit Domino, supputabit sacerdos iuxta annorum numerum vsque ad iubileum, pretium: & dabit ille qui vouerat eum, Domino. in iubilio autem reuertetur ad priorem Dominum qui vendiderat eum, & habuerat in fortem possessionis suae. Omnis aestimatio siclo sanctuarij ponderabitur. Siclus viginti obolos habet. Primogenita quæ ad Deum pertinent, nemo sanctificare poterit & vouere, siue hos siue ouis fuerit: Domini sunt. Quod si immundum est animal, redimet qui obtulit iuxta aestimationem tuam, & addet quintam partem pretij, si redimere noluerit, vendetur alteri quantuncunq; fuerit ante aestimatum, Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager, non vaniet nec redimi poterit. Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, Et omnis consecratio quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur. Omnes decimæ terræ siue de pomis arborum siue de frugibus, Domini sunt, & illi sanctificantur. Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum. Omnium decimarum bouis & ouis & capræ, quæ sub pastoris virgâ transeunt, quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non eligerit nec bonum nec malum, nec altero commutabitur. si quis mutauerit: & quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur. Hæc sunt præcepta quæ mandauit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai.

Exod. 30. b
Nume. 3. g
Sec. 4. j. d

Declina.



C A P V T I

A **L**OCVTVS QVE EST Dominus ad Moysen in deserto Sinai in tabernaculo foederis prima die mensis secundi, anno altero egressionis eorum ex Aegypto, dicens, Tollite summam vniuersæ congregationis filiorum Israel per cognationes & domos suas, & nomina singulorum quicquid sexus est

Tabernaculo
merari ad
pugna apris
Exo. 30. b

masculini à vicesimo anno & supra, omnium virorum fortium ex Israel, & numerabitis eos per turmas suas, tu & Aaron. Eruntque vobiscum principes tribuum ac domorum in cognationibus suis, quorum ista sunt nomina: De tribu Ruben, Elisur filius Sedeur, de tribu Simeon, Salamiel filius Surisaddai, de tribu Iuda, Naafon filius Aminadab, de tribu Issachar, Nathanael filius Suar, de tribu Zabulon, Eliab filius Helon, filiorum autem Ioseph de tribu Ephraim, Elisama filius Ammiud, de tribu Manasse, Gamaliel filius Phadassur, de tribu Benjamin, Abidan filius Gedeonis, de tribu Dan, Ahiezer filius Ammisaddai, de tribu Aser, Phegiel filius Ochran, de tribu Gad, Eliasaph filius Ducl, de tribu Nephthalim, Ahira filius Enan. Hi nobilissimi principes multitudinis per tribus & cognationes suas & capita exercitus Israel, quos tulerunt Moyses & Aaron cum omni vulgi multitudine, & congregauerunt primo die mensis secundi recensentes eos per cognationes & domos ac familias & capita & nomina singulorum à vicesimo anno & supra, sicut preceperat Dominus Moysi. Numerati sunt in deserto Sinai de Ruben primogenito Israelis per generationes & familias ac domos suas, & nomina capitum singulorum omne quod sexus est masculini à vicesimo anno & supra, procedentium ad bellum quadraginta sex millia quingenti.

Intra. 30. b

B De filijs Simeon per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina & capita singulorum omne quod sexus est masculini à vicesimo anno & supra, procedentium ad bellum quadraginta sex millia quingenti. De filijs Gad per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à viginti annis & supra, omnes qui ad bella procederent, quadragintaquinque millia sexcenti quinquaginta. De filijs Iuda per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à vicesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, recensiti sunt septuagintaquatuor millia sexcenti. De filijs Issachar per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à vicesimo anno & supra, omnes qui ad bella procederent, recensiti sunt quinquagintaquatuor millia quadringenti. De filijs Zabulon per generationes & familias

F I N I S .